

TITULUS XXIX.

De officio et potestate Judicis delegati.

1. Aggredimur tractationem de ecclesiasticis personis Ecclesiam gubernantibus sub respectu judicis; sub quo respectu forum etiam externum habent cui præsunt, ut causas etiam judicialem formam servantes definiant. Agitur autem præ primis de Judicibus delegatis, quia horum potestas superat et vincit quoad negotium demandatum potestatem judicum ordinariorum. Id vero locum habet cum delegatio a Romano Pontifice procedit.

2. Titulus duplicem conceptum exprimit, *potestatem* nempe et *officium* judicis delegati. Potestas exprimit quid possit agere hic iudex; officium significat modum quo potestatem exequat. Nominine potestatis venit jurisdictio, quæ lato sensu sumpta nihil aliud est nisi auctoritas præeminens in aliquos ad eorum regimen et gubernationem. Relate autem ad forum judiciale est 'potestas publica juris dicendi et æquitatis statuendæ in populo Christiano'. Jurisdictio distinguitur ut alia sit contentiosa, quæ nempe etiam in invitos vel partibus inter se contententibus exercetur, quæque formam judicialem requirit; alia autem voluntaria, quæ in volentes exercetur, prout est absolvere a censuris, dispensare ab irregularitatibus aut impedimentis dirimentibus matrimonii ex jure humano provenientes. — Jurisdictio alia est ordinaria, alia delegata. Prior est quam aliquis consequitur vi officii ad quod assumitur, et exercet nomine proprio non vero alterius; quæ proinde jurisdictio ex legis dispositione aut ex consuetudine procedit, et non ex commissione alterius. Jurisdictio delegata dicitur quæ propria esset alterius officii et personæ distinctæ ab ea in qua nunc residet, quæque obtinetur ex illius commissione, et vice ejusdem exercetur. Hinc alii sunt iudices ordinarii, alii delegati. In delegatione autem quandoque committitur vera jurisdictio, seu potestas videndi et decernendi quod justum et æquum est; aliquando autem merum ministerium, idest sola executio voluntatis judicis ordinarii delegantis, quæ est personalis et ab eo efficienda cui committitur.

3. Insuper delegatio procedere potest a jure, idest ex commissione expressa in jure communi, vel ab homine, ab eo scilicet qui ordinaria gaudet jurisdictione, ac facultatem habet eandem alicui exercendam committendi. Hinc iudices delegati alii a jure,

alii ab homine delegari dicuntur. A jure; siquidem habemus Concilium Tridentinum præsertim in *c. 1. sess. 5. et c. 2. sess. 6. de Ref.* Episcopis facultatem concedere ut in exemptos procedant tanquam Sedis Apostolicæ delegati. Quæ formula significat concedi Episcopis potestatem quam jure ordinario non habebant. Quandoque autem concedit Concilium Episcopis facultatem ut procedant *etiam* tanquam Sedis Apostolicæ delegati. *Sess. 22. c. 10. et sess. 6. c. 4. de Ref.* Quæ formula exprimit in negotio aliquo posse Episcopum procedere auctoritate propria scilicet ordinaria, sed ad præcavendas quæstiones et ad removenda obstacula ex juris dispositione Episcopum instructum esse etiam auctoritate apostolica.

Delegatio insuper fieri potest vel uni vel pluribus; et pluribus fieri potest vel ut in solidum competat, vel ut collegialiter procedant in negotii commissi cognitione et executione.

4. Judices alii delegantur ad unum negotium, et alii ad universitatem causarum; quique sunt ii quibus omnes causæ in aliqua Diocesi vel Provincia videndæ et decernendæ committuntur, vel saltem unum genus causarum ex. gr. causæ beneficiales etc. Hæc vero faciendæ est distinctio ob varios effectus juridicos qui sequuntur ex diversa delegatione.

5. Alii etiam delegati dicuntur ratione dignitatis vel officii quod obtinent, alii ratione personæ; prout delegatio facta fuerit dignitati aut officio ex. gr. si commissio facta fuerit Episcopo Tusculano, Archidiacono Toletano, aut Abbati alicujus monasterii *c. 14. h. t.*, vel delegatio facta fuerit personæ expresso ejus nomine, quamvis forte persona delegata officium ecclesiasticum et gradum honorificum obtineat. Prima non expirat demortua persona quæ tempore datæ commissionis dignitatem vel officium occupabat, sed in successorem transit *cc. 38. et 42. h. t.* Secunda vero expirat morte personæ cui tributa fuerat *c. 42. h. t.* Censetur enim hoc in altero casu electa industria personæ, et delegans fidit in scientia vera et non tantum in præsumpta, quemadmodum contingit in casu quo delegatio facta fuerit dignitati vel officio.

6. Alii tandem sunt simpliciter iudices delegati, alii vero subdelegati, qui nempe ab eo qui fuerat delegatus potestatem, causam vel negotium videndi et expediendi obtinent.

7. Quæritur quinam possint delegare. — In genere omnis qui potestatem ordinariam et propriam habet, delegandi jure pollet,

nisi agatur de negotio quod vel ex juris dispositione vel ex voluntate Principis a iudice ordinario debeat expleri *c. 7. de Off. Jud. Ordin. in 6.* et ex *Reg. 68. in 6.* et ex *Reg. 72. pariter in 6.* Exemplum habemus in *sess. 24. c. 6. de Ref. in Trid.* ubi conceditur Episcopis facultas, in casibus occultis reservatis S. Sedi absolvendi sive per se sive per Vicarium, specialiter deputandum; excipitur autem casus hæresis occultæ, in quo solis Episcopis, non eorum Vicariis absolvere permittitur. Ratio exceptionis patet ex eo quod jus commune et voluntas summi Principis in casu nostro prævalent ipsis iudicibus ordinariis. At iudex ordinarius non potest totam suam jurisdictionem inconsulto Principe delegare; nam non amplius videretur delegare potestatem suam, sed potius videretur se exuere officio suo, et novum magistratum constituere, quod iudices ordinarii facere prohibentur absque Principis consensu *L. pen. ff. de Off. Præsid.*

8. Quæritur 2º. an delegatus possit subdelegare? Qui est delegatus a Summo Pontifice potest subdelegare *c. 62. de Appellat. § ult.* et quidem licet in commissione mentio facta non fuerit de potestate subdelegandi. Exceptio tamen fieri debet; scilicet dummodo tamen electa non fuerit industria personæ; quod cognosci potest vel ex tenore delegationis, videlicet si dictum fuerit, ut delegatus per seipsum causam videat, aut negotium expediat, vel etiam ex qualitate et gravitate negotii, quod ideo alicui commissum fuit, quia reputabatur aptior præ aliis ad illud expediendum *cc. 3. et ult. h. t.* Et quidem in exposita exceptione delegatus a Pontifice neque potest subdelegare articulum jurisdictionalem ex. gr. decretum seu sententiam incidentalem et interlocutoriam. Potest vero alteri committere articulum non jurisdictionalem ex. gr. lectionem alicujus instrumenti. Ita Doctores cum Glossa ultima in *Clem. un. h. t.* et in *c. 27. h. t. § Nos autem v. executorem.*

9. Alia exceptio facienda est; scilicet nisi commissum fuerit nudum ministerium, et executio mera voluntatis seu decreti pontificii. Cum nempe vel negotium jam cognitum fuit a Pontifice et quodammodo resolutum, vel gratia facta est ab eodem, aut quæstio decisa, et alteri committitur officium vel negotium ad exitum perducendi vel executioni mandandi gratiam vel sententiam. Hisce etiam in casibus delegatus Pontificis non potest aliam subdelegare *c. ult. h. t. § ult.* Quare in praxi dum committitur Ordinario loci mandatum ad dispensandum ab aliquo impedimento matrimonii

inter certas personas cognita veritate precum, delegatus Pontificis poterit alterum subdelegare ut de veritate rerum expositarum cognoscat; quibus tamen cognitis ipse delegatus et non alius exequitur literas apostolicas dispensationis.

10. Cum vero non est electa industria personæ ad negotium expediendum vel ad causam videndam, neque commissum est nudum ministerium, iudex delegatus a Pontifice potest subdelegare, immo eam habet auctoritatem ut, legitima existente ratione, possit alterum etiam pœnis comminatis, adstringere ad subdelegationem suscipiendam, sub ea tamen conditione, ut si delegationem superioribus personis, idest ut adnotat Glossa, constitutis in dignitate committere velit, in coercitionibus deferat dignitati et personæ. Scilicet prudenter procedere debet *c. 28. h. t.* Ordinario autem loci delegatus summi Pontificis potest committere etiam executionem sententiæ quam ipse delegatus tulerit in causa; *cit. c. 28. § 4.* Quoad causam enim vel negotium commissum Delegatus a Pontifice summo reputatur superior quolibet ordinario loci; procedit enim ex auctoritate ejusdem Pontificis.

11. Delegatus ad universitatem causarum quamvis proprie ordinarius non sit, quia jurisdictionem proprio jure non obtinet, sed alieno beneficio; tamen ordinario æquiparari potest in exercitio ejusdem jurisdictionis, quia est jurisdictio universalis. Hinc ordinarie ceu iudex adiri potest, et a Glossa in *c. 62. de Appell.* quasi ordinarius nuncupatur. Quare, licet non sit delegatus a Principe, tamen ad instar Ordinarii iudicis poterit aliquam causam, et a fortiori aliquem articulum jurisdictionalem subdelegare. Hæc sententia communis est inter auctores, qui etiam innituntur juris civilis dispositioni in *l. Cum Prætor ff. de Judic.* Non potest vero integram jurisdictionem subdelegare; nam etiam iudex Ordinarius auctoritate propria sese ab integra potestate exspoliare nequit, eam alteri delegando. Quod si quis non a Principe sed ab inferiori Ordinario sit delegatus ad peculiarem causam videndam et decernendam, non poterit subdelegare, nisi a delegante eidem fuerit concessa licentia. Docet id *Gloss. in cit. c. 62. de Appell.* quam communiter auctores sequuntur. Ratio est, quia in jure facultas subdelegandi conceditur ceu privilegium delegato a Principe propter eminentiam supremæ potestatis Principis cujus personam delegatus iudex repræsentat, et conceditur delegato ad universalitatem causarum, quia iudici ordinario æquiparatur. Utraque autem hæc ratio

in persona quæ ab inferiore iudice ordinario ad unam causam delegatur locum non habet.

12. Cæterum Doctores tribuunt huic delegato facultatem subdelegandi articulum non jurisdictionalem, qui nempe nudum ministerium seu meram executionem importat. Quemadmodum si committeret alicui officium videndi de aliqua circumstantia facti, ex. gr. an revera adsit aliquod instrumentum vel non, ut inde eidem iudici delegato referret. *Gloss. fin. in Clem. un. h. t. Abbas in cap. 27. h. t. n. 3.* aliique, et ad rem facit idem *c. 27. h. t. § Nos autem.* At Doctores denegant eidem delegato jus subdelegandi articulum jurisdictionalem, ex. gr. examen iudiciale testium, decretum interlocutorium etc. arg. *cap. Cum causam 62. de Appell.* ubi nulla facta distinctione inter unum et alium articulum jurisdictionalem, traditur, solummodo delegatum a Principe subdelegare posse causæ cognitionem; posita autem facultate subdelegandi unum articulum jurisdictionalem, non videretur quomodo delegatus non posset etiam alios, ac proinde totam causam subdelegare.

13. Quæstio 3^a. Quinam possunt esse iudices delegati. — In genere illi omnes possunt esse iudices delegati qui capaces sunt jurisdictionis ecclesiasticæ exercendæ, quique ad eam exercendam idonei sunt. Hinc in alterutro capite deficientes, delegari non possunt. Hæc præcipue valent de iudicibus ordinariis inferioribus quia eorum delegatio in jure non alligatur alicui cœtui personarum. Hinc Episcopi causas videndas ac definiendas committere possunt simplici Clerico, dummodo prudens sit ac instructus in jure quod explicare debet arg. *c. 7. de Off. Ordin. in 6^o.* Animadvertendum vero est, iudicem ordinarium Papa inferiorem posse utique aliquam causam propriæ jurisdictionis delegare personæ sibi non subditæ si hæc velit, at eam non posse cogere ad delegationis munus suscipiendum. Extra enim territorium jus dicenti, idest in casu nostro imperanti, impune non paretur. *Cap. ult. de Const. in 6^o.*

14. In specie aliquid dicendum de personis delegandis a S. Sede. Supremus Pontifex quamvis ex certa scientia possit non solum simplici Clerico, sed etiam laico sub forma privilegii Apostolici in aliqua causa peculiari committere jurisdictionem, ceu notat Glossa in *cap. Decernimus* de Judiciis, quam Doctores sequuntur; tamen ex dispositione *c. 11. de Rescr. in 6^o.* nulli committendæ sunt

causæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ vel Legatorum ejusdem videndæ nisi personis constitutis in dignitate aut personatum habentibus, aut saltem Canonicis Ecclesiæ Cathedralis. Quibus personis ex *Clem. 2. de Rescr.* adjungendi sunt Vicarius generalis Episcopi et Priores Conventuales; quia etiam hi censentur esse in dignitate. Designantur autem prædictæ personæ in jure ad hujusmodi officium tum ob honorem Apostolicæ Sedis, quam delegatus repræsentat, tum præsertim ob præsumptam scientiam et honestatem harum personarum. Hæc qualitas dignitatis etc. quæ in iudice delegato necessaria est, ab aliquibus uti necessaria habita est etiam in subdelegato. At invaluit deinde sententia contraria. Nam qualitas dignitatis in delegato S. Sedis requiritur præsertim, quia, cum summus Pontifex regulariter non cognoscat omnes Clericos singularum Diocesium, hinc ad officium delegati designat eas personas, quas ex scientia et aliis qualitatibus præsumptis idoneas reputat. Delegatus vero qui subdelegatum agnoscit, procedit ex scientia certa, non autem ex scientia et qualitatibus præsumptis. Hinc delegatus potest etiam personam non qualificatam, dummodo idonea sit, subdelegare.

15. Concilium vero Tridentinum in *c. 10. sess. 25. de Ref.* renovavit Bonifacii VIII. decretum relatum in *cit. cap. XI. de Rescr. in 6.* atque ut S. Sedes tutior sit de scientia et probitate iudicum delegatorum, pro causis extra Urbem iudicandis, statuit ut in synodis provincialibus aut diocesanis pro quaque Diocesi quatuor aut plures personæ qualitatibus a Bonifacio designatis instructæ et alioquin idoneæ determinantur; quorum nomina Episcopi statim transmittere debent Pontifici, quibus personis, non exclusis tamen ordinariis locorum, committantur cognoscendæ et definiendæ causæ a Sede Apostolica, a Nuntiis vel Legatis Apostolicis, ita ut delegationes aliis iudicibus factæ censeantur subreptitiæ. Quod si aliquem ex designatis interim mori contigerit, Ordinarius loci cum Capituli consilio unum substituere debet in ejus locum, usque ad futuram provincialem vel diocesanam synodum. Iudices hujusmodi dicuntur synodales. Ex resolutione autem *S. C. C. in Januensi* mensis Martii 1601. Iudices synodales ante delegationem Pontificis aut Legati vel Nuntii Apostolici nullam obtinent jurisdictionem; immo post acceptam delegationem in exercitio potestatis delegatæ Episcopi notarium assumere debent in causæ cognitione, ceu resolutum est in *Albens.* 15. Jan. 1656.

16. Hac in re *Bened. XIV.* die 26. Aug. 1741. edidit Constitutionem quæ incipit '*Quamvis paternæ*' in qua inculcat ea omnia quæ a Bonifacio VIII. et in Tridentino statuta fuerant circa designationem personarum quibus committenda est delegatio apostolica, simulque decernit ut in hypothesis qua Concilium vel provinciale vel diocesenum non celebratur, Archiepiscopi et Episcopi interim cum consensu Capitulorum suorum iudices eligant, et nomina eorum in Albo redacta summo Pontifici remittant, et si mori aliquem contingat, alios cum consilio Capituli sufficient, suffectosque eidem Sum. Pontifici statim denuncient.

17. Hæc vero lex Bonifacii et Tridentini confirmata a Benedicto XIV. ita est intelligenda ut semper salva sit auctoritas S. Sedis ex certa scientia delegandi etiam alias personas præter illas, quæ in eadem lege designantur. Animadvertendum vero est, hodiernis temporibus causas S. Sedi delatas regulariter omnes a Congregationibus Romanis definiri, adeoque admodum infrequentes esse casus delegationis quæstionum extra Urbem; litteras vero apostolicas et rescripta pro executione committi Ordinariis locorum. Ita se habet hodie ordinaria præxis S. Sedis.

18. **De officio Judicis delegati.** — Officium iudicis delegati idem sonat ac obligatio ejusdem, et complectitur ea quæ ipse observare tenetur ut munere sibi commisso rite fungatur. Officium scilicet respicit modum quo delegatus potestatem suam exercere debet. In exponendis iis quæ sunt officii, primum ea exhibebimus quæ in genere officium ipsum attingunt sive unus sit iudex delegatus sive plures; deinde de officio iudicis delegati in specie, et præsertim si plures fuerint delegati iudices.

19. Prima obligatio ratione officii est, ut delegatus iudex nullo modo sese immisceat in negotio vel causa, antequam mandatum delegationis receperit. Et si sermo sit de delegatione summi Pontificis, requiritur ut litteræ delegationis eidem delegato fuerint oblatae *c. 12. de Appell. Extr. 1. de Elect. § Sane inter Comm.* et auctores communiter. Nam licet dici forsitan possit delegationem habitu incipere a die factæ commissionis; tamen exercitium iudicium delegationis suscipere non potest delegatus, nisi communicationem mandati in forma authentica habuerit; nec proinde sufficit privata notitia, etiam ceteroquin certa factæ delegationis. Hinc etiam processus inceptus non valet, et reclamante alterutra parte pro infecto habetur, nec vires iterum acquirit supervenientibus inde literis dele-

gationis. Hæc vero dispositio juris constituta est, ad fraudes præcavendas. Ratio vero juridica est, quia delegatio in jure, cum extraordinariam potestatem secumferat *c. 31. h. t.* non præsumitur, sed legitimo modo probanda est, secus impune partes non obtemperant.

20. Et si sermo sit de delegato Principis, tenetur ipse antequam jurisdictionem exercere incipiat, Ordinario loci suæ delegationis literas ostendere, quas si tradere recusaverit, poterit Ordinarius eidem resistere, quemadmodum docent auctores interpretantes *c. 31. h. t.* Inter alios consulatur *Fagnanus* com. in id. cap.

Porro delegatio ab Ordinario qui sit Principe inferior, fieri potest etiam absque litteris delegationis, et cum de ea nihil in specie statutum sit, probari potest etiam per testes juxta dispositionem generalem *cap. 10. de Fide Instrum. §. porro.*

21. Altera obligatio Judicis delegati est ut tenorem servet et limites mandati delegationis *c. 22. de Rescr.* Tantum enim potest quantum ei conceditur. Hinc si forma specialis procedendi fuerit imposita, eam sequatur oportet, si vero solummodo fuerit demandata jurisdictio, formam juris communis iudex delegatus servabit. Quid vero si fuerit designatus locus ubi causam videat? Si locus designatus non fuerit, causa videnda erit intra provinciam ubi partes commorantur. Si locus fuerit a delegante designatus, ibi causam videbit *c. XI. de Rescr. in 6. § 4.* At posita designatione loci, si locus hic tutus non sit, ut eo partes conveniant, alibi intra provinciam partium poterit causam iudex pertractare *c. 13. h. t. in 6.* Pariter ex partium consensu poterit iudex locum jurisdictionis exercendæ immutare *cit. c. XI. de Rescr. in 6. § 4.* Locus enim in commodum partium videtur designatus.

22. In tenore rescripti inspicere etiam debet tempus, intra quod delegatus debeat negotium absolvere. Si tempus determinatum non sit in mandato, utile tempus censetur esse annus *c. 26. h. t.* Quod si tempus determinatum fuerit, intra illud debet iudex causam definire. Si quæraturo vero utrum intra annum, aut intra tempus definitum in mandato teneatur iudex sententiam proferre, aut etiam teneatur illam executioni demandare, respondendum est, primum sufficere; quia iudicis proprie officium est sententiam dicere, et munere suo functus est, cum iudicium tulit; executio enim et potest per alium magistratum fieri, atque per appellationem in devolutive simul cum suspensivo potest retardari. Transacto autem tempore

legitimo, iudex delegatus sententiam vi delegationis proferre non potest, ceu notat *Gloss. in c. 26. h. t. cit. v. annum.* Poterit vero ex consensu partium iurisdictio prorogari, si iurisdictio non in publicum bonum et ob causam publicam, sed in bonum partium fuerit delegata. Prorogatio autem facienda est, antequam tempus legitimum exspiret.

23. Tertia obligatio est, ut partium probationes ac legitimas exceptiones admittere debeat delegatus, ceu expresse docet *c. 13. h. t.* Quid vero si in mandato addatur clausula 'quacumque exceptione remota'? Alex. III. in hoc cap. 13. præfatæ clausulæ eam vim concedere videtur, ut excludantur omnes etiam rationales exceptiones; ait enim, easdem exceptiones a iudice delegato esse recipiendas 'nisi exprimat in literis quod nullæ debeant exceptiones admitti'. Verum inde idem Alexander adnotat, clausulam de non admittendis exceptionibus rationabilibus practice esse impossibilem; namque subdit, neque nos neque antecessores nostros clausulam hanc expressisse. Quare cum ex naturali jure reo concedatur justa defensio, per enunciata clausulam utique prohibentur exceptiones futiles et irracionales, quæ diu contra juris intentionem protraherent causæ definitionem; non interdicuntur vero exceptiones, quæ rerum probationi et veritati ad amissim respondent.

24. Quartum officium iudicis est sententiam latam executioni mandare. Qua in re notandum est, iudicem delegatum ab Ordinario qui sit Pontifice Rom. inferior, regulariter ipsi mandanti executionem remittere; delegatum vero Rom. Pontificis ex *c. 7. h. t.* eandem executionem Ordinariis locorum committere. Quod si Ordinarius sententiam exequi recuset, vel ex dispositione *c. 28. h. t. § 4.* poterit delegatus eum cogere ad exequendam sententiam, et Ordinarius parere debet, quamvis arbitretur opinabiliter sententiam esse injustam, dummodo non agatur de aperta injustitia, quæ potius spoliū dici potest; vel per seipsum sententiam delegatus exequi poterit *c. 7. h. t.*

25. In specie modo agendum est de officio plurium simul delegatorum iudicum. Pluribus iudicibus eadem causa videnda et decernenda committi potest, et exempla offeruntur in *cap. 2., 16., 22. et 23. h. t.* Et primo quidem hæc delegatio fieri potest pluribus ita ut quoad causam definiendam tota in singulis resideat iurisdictio, ita scilicet ut quisque per se causam possit decernere. Quo in casu plures dicuntur constitui iudices in solidum. Item secundo delegatio

pluribus fieri potest ita ut non totaliter ad singulos spectet, sed simul omnes procedere debeant; quo in casu dicitur tributa delegatio collegio cuidam personarum quæ collegialiter causam definire tenentur. Cum plures delegantur iudices cum iurisditione totali in solidum, bonum partium consideratur, idest expedita causæ cognitio, inter plures enim designatos iudices aliquis saltem causæ cognitionem cito aggredietur. Hinc ille hanc cognitionem assumit et prosequitur, qui prior causam occupat. Ille vero censetur causam occupasse qui acceptis literis a partibus, mandatum edit citationis partibus intimandæ. Cæteri vero designati iudices non possunt in inchoato negotio sese immiscere, nisi qui illud tractare aggressus est infirmitate vel alia justa causa impediatur, vel nolit expresse, aut malitiose recuset in negotii executione procedere. Quod si quærat quænam sit formula, quæ delegationem pluribus factam in solidum exprimat, eam dicimus esse qua, licet plures designentur iudices, tamen conceditur facultas ut unus etiam ex designatis negotium exequi possit. Tota hæc theoria exhibetur *in c. 8. h. t. in 6°.*

26. Delegatio si pluribus iudicibus fiat ut collegialiter procedant, negotium seu causa debet ab omnibus pertractari ac definiri, ita ut si ab uno tantum aut aliquibus sententia, aliis absentibus et non auditis, proferatur, nullius sit roboris. Hanc nobis exhibent doctrinam *c. 16. h. t., c. pen. h. t. et L. Vero ff. de re iudicat.* Immo adeo actus collegialis necessarius reputatur, ut nec citatio valeat, nisi omnium nomine et ab omnibus delegatis iudicibus intimetur, secus citatus obtemperare non tenetur. *Arg. c. 22. h. t. in princ. et gloss. ibi v. Teneatur.*

27. Quid vero si causa commissa fuerit sub hac formula: ut omnes videant, quod si omnes interesse nequeant, duo vel tres ipsi videant? Ex dispositione *c. 21. h. t. § 1.* præsentibus duo vel tres causam videbunt, dummodo probetur canonicis regulis vel per certum nuncium ostendatur, absentes vel absentem aut non posse, aut nolle accedere ad causam cognoscendam et definiendam. Idem quoque dicendum si causa committatur duobus cum clausula ut si ambo interesse nequiverint, unus nihilominus causam decernat *c. 21. § 2.*

28. Quid vero si causa pluribus fuerit commissa ita, ut omnes videant, et unus demoriatur? Videtur hac in re diversa dispositio *cap. 14. et cap. 42. h. t.* Nam in *c. 14.* iudicium a successore iudicis demortui emissum cum alio iudice superstite sustinetur; in *cap. vero 42.* traditur penitus exspirare officium et juris-

dictionem delegatam etiam relate ad superstitem. Verum oppositio omnis disparet, si animadvertatur diversa species capitum. Nam in c. 14. sermo est de delegatione facta expressis nominibus locorum et non personarum; idest delegatio facta fuerat duabus dignitatibus, ita ut, demortua persona, quæ unam habebat ex illis dignitatibus, non censeretur finita delegatio, sed ea in successorem transiret. In cap. vero 42. agitur de delegatione facta pluribus designatis personis, quarum una demortua, jurisdictio concessa omnibus per modum unius desinere debebat. Duplex ergo infertur ex duobus hisce capitibus principium de duratione jurisdictionis collegii delegatorum in casu quo unus de collegio deficiat.

29. Hæc de commissa pluribus delegatione. Quid si ex literis delegationis non appareat utrum in solidum concessa fuerit, vel solummodo ut collegialiter exerceatur? In dubio, cum agatur de singulari causa videnda et decernenda, præsumitur Judicem Ordinarium voluisse eam pluribus committere; quia præsumitur plures melius et tutius procedere in causæ alicujus definitione. Morem etiam Apostolicæ Sedis fuisse tradit Cælestinus III. in c. 21. h. t. § 1. ut causæ facilius et libentius duobus quam uni, tribus quam duobus delegarentur.

30. De potestate judicis delegati. — Judex delegatus habet veram potestatem qua efficaciter causam sibi commissam cognoscat, quæstionem decernat et ad effectum perducatur. Quare non solum habet simplicem jurisdictionem, sed etiam mixtum imperium, idest jurisdictionem cum congrua pœnarum coercitione. Et quidem hanc potestatem non solum exercere potest in ipsas partes contententes, sed etiam circa personas extraneas et in mandato non designatas capp. 1. et 7. h. t. Quare vocare potest coram se partes, et testes, et prohibere potest comminatis censuris omnes illos qui exercitio suæ jurisdictionis obstacula objiciunt. Attamen ut delegatus circa extraneas personas jurisdictionem exerceat, necesse est ut personæ hujusmodi auctoritati delegantis subjiciantur. Quare delegatus Rom. Pontificis, eo quod Rom. Pontifex præest toti Ecclesiæ, potest suam auctoritatem exercere quoad omnes fideles. At ex c. 28. h. t. cum personis in dignitate constitutis delegatus Apostolicus in exercitio coactivæ potestatis mitius procedere debet. Potest insuper delegatus Rom. Pontificis uti vidimus exigere ab ordinariis ut suam sententiam executioni mandent. — Hac etiam in re præstat referre sanctionem *Const. Pii IX. Apostolicæ Sedis*, in qua inter excom-

municationes speciali modo S. Sedi reservatas sub n. 8. exhibetur excommunicatio latæ sententiæ contra 'recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quælibet a Sede Apostolica vel ab ejusdem Legatis aut delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes sive alios lædentes vel perterrefacientes'.

31. De appellatione a sententia judicis delegati. — In genere datur facultas appellandi a sententia judicis delegati vel subdelegati; nam appellatio consideratur ceu species defensionis, quæ nulli deneganda est c. 16. de Appellation. Si ordinarius causam commisit judici delegato, a sententia hujus appellandum est ad delegantem vel ad ejus successorem in officio *L. 1. Imperatores § 1. ff. de Appell.* quia appellatio procedit ab inferiore ad superiorem. Ob hanc rationem a sententia delegati Romani Pontificis appellandum est ad ipsum Pontificem, non autem ad ordinarium loci ubi causa nata est, vel decernitur. Nam quoad negotium seu causam, quæ in mandato delegationis summi Pontificis continetur, potestas delegati vincit potestatem ordinarii localis c. 11. h. t. Si delegatus subdelegavit totam causam, cum sese expoliaverit jurisdictione, censetur uti extraneus a negotio, et tota relatio incipit esse inter delegantem priorem et subdelegatum. Hinc a sententia hujus subdelegati appellatur ad delegantem c. 27. h. t. § porro. Quod si delegatus solam aliquam partem jurisdictionis, idest aliquem articulum jurisdictionalem subdelegavit, cum sententia ab ipso delegato adhuc procedere censeatur, a partiali judicio subdelegati appellatur ad delegatum c. 18. h. t., c. 7. h. t. in 6. et *Leg. ult. Cod. Qui pro sua jurisdict.*

32. *) Quid vero si in mandato Rom. Pontificis adjecta sit clausula 'quacumque appellatione remota'. Non loquimur de casibus in jure communi descriptis prout sunt causæ visitationis vel correctionis morum in quibus Episcopus procedit etiam tanquam S. Sedi delegatus, nec executio mandatorum ejus potest retardari; qua de re agit Tridentinum *sess. 24. c. 10.* In hisce casibus appellatio servabitur tantum in devolutivo, nunquam vero in suspensivo. Igitur clausulam hanc consideramus adjectam mandato delegationis quæ fiat ab homine. Animadvertimus vero adijcere eam

*) De hac quæstione agimus in lib. II. tit. De Appellationibus.